

latatione distrahimur, convivamus tamen hoc uno quo possumus, litterarum alterutra missione. Iterum vale.

Tuus si quid est Gabriel de Dondis etc.

phisicus in Clugia. Ubi dat. XX^o Augusti [1367?].

11.

Epistola domini Pauli de Bernardo responsiva ad premissam ^{a)}).

[Vat. cc. 109 v-110 r; Vi. c. 343 r; M. c. 186; L. c. 104].

Ipse idem communis amicus, cuius presentia utinam digni diutius fuissemus, pari affectu, parique studio de te michi multa suggestit, multa intulit dum ageret apud nos, credo ut morem gereret virtuti sue, que tanta fuit, ni fallor, ut Indos reconciliasset Hyspanis, et Numidis Massagetas. Mira quidem fuit eius humana, et supramodum incredibilis karitas, cuius, etsi forte argumenta aliqua collegisse potueris, ego omnem certitudinem ac experientiam prorsus vidi, quippe qui ab annis teneris miratus sum prudentiam suam, aliquandiu militavi sub eo, et, ut verum fatear, ipse pro magna parte dux extitit ad hanc, qualiscunque sit, militiam litterarum. Proinde cum dotes et excellentiam viri, cum integritatem fidei, mores et probitatem considero, indignor astris et celo, quod tam male ad ultimum cognitus sit, quod in eius detractionem dentes malignitatis fortuna acuerit tam pertinaciter, tam infeste. Verum ut excusem fortunam, nil in eum ausa est penitus certe, nec poterat, sed ut ostenderet nobis et posteris, quantum sit vanitatis in his, que statum et eminentiam vulgus vocat, utque de illo faceret exemplum singularissimum mundo, hoc puto ex industria molita est facinus. Testor tamen Deum et conscientiam rectam, quod et ipse hoc aliquando considerans, familiariterque mecum colloquens, cessisset libenter illi fastigio, in privatam vitam, si fas

Petr. Fam.
XIX 13.

^{a)} Cfr. a pagg. 44, 56, 76, 113, 150, 160, 162.

¹ Magistro Gabrieli de Dondis physice professori apud Clugiam viro excellens ingenii, *Vi. M. L.* ⁴ *M. L.* et multa.... ⁴⁻⁵ *L. gerat.* ⁶ *Vat. Massagetus.* ⁷ *M. L.* forte etsi. ⁷⁻⁸ *argumenta] om.* *Vat.* ¹¹ *Vi. magne.* ¹³ *Vi. integritate.* *probitatem]* *Vi. pro habitante.* ¹⁴ *eius]* *Vat. eis.* ¹⁶ *ausa]* *Vi. M. ausus L. causa acta.* ¹⁷ *M. L. quanta.* ¹⁸ *Vi. M. L. vanitas.* ²² *Vi. cepisset.*